



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De alia cruce, quae visa est in villa Docheym in prouincia Frisiae, cap. 39.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

Mox ad iudicem ductus, culpam vellet nollet confessus est, sicque pena rotali damnatus. Multa huiusmodi miracula inuenies in distinctione confessionis. Vnde his omissis, videamus quid Deus miraculorum operatus est in aere. Quod verò ipse Dei filius Iesus visus sit in nubibus cœli, non tamen in maiestate, sed in humilitate, exemplis veris tibi potero demonstrare.

## CAPVT XXXVII.

**D**VM Oliuerus Scholasticus, cuius verbis vtor, crucem prædicaret in Frisia, in diœcesi Monasteriensi, villa Bedian, mense Maio, feria sexta ante Pentecosten, sicut alibi me dixisse memini, triplex forma crucis apparuit in aere, vna candida, versus aquilonem; alia versus meridiem eiusdem coloris & schematis; tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & formam hominis in ea suspensam, eleuatis brachiis & extensis, cum infixione in manibus & pedibus, & capite inclinato. Hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis.

*In aere  
prodigie?*

## CAPVT XXXVIII.

**A**Lia vice, & alio loco, in villa Frisicæ Sotershusæ, tempore prædictæ prædicationis crucis, apparuit iuxta solem vna crux cerulei coloris.

## CAPVT XXXIX.

**T**ertia fuit apparitio in diœcesi Traiectensi, in villa Docheym, vbi sanctus Bonifacius coronatus fuit martyrio, vbi in die martyrij eiusdem, cum multa millia accessissent ad indictam stationem, apparuit crux alba & magna, ac si trabs ex transuerso trabis artificialiter composita fuisset. Hoc signum vidimus omnes: (verba sunt prædicti Oliueri) mouebatur autem paulatim ab aquilone ad meridiem. Huic visioni interfuerunt dominus Henricus Abbas noster, & Winandus monachus eius, qui & ipsi viderunt.

*Dockuz*

RE

CAPVT